



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Pestis, quàm famis nomen multò esse horribilius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

qui pro tali vita mortem optant, ut miseriam finiant. Tantò igitur famelici pauperes erunt misericordia digniores, quantò sunt miseriore, ut viuere velint, si habeant, vnde viuant. Hinc existit scitu digna quæstio, sitnè fames mortalibus plus timenda, quam mors, immò quam pestis ipsa? Hanc quæstionem, de duobus gravissimis mortalium malis, parùm gratam minusque jucundam auribus putarem, nisi scirem, homines interdum ex tristibus etiam, horribilibus, acerbis, atrocibusque rebus voluptatem capessere. Id enim, nisi ita esset, neque historias de bellis, de cædibus & stragibus multorum, tanto studio legeremus; neq; tragœdias tam audite spectaremus. Et quamuis de fame, deque peste audire, sit minus jucundum, non tamen ea propter hac disputatio est abstinendum, cum in plurimis rebus utile jucundo sit anteponendum; & hinc non solùm humanæ calamitatis cognitio possit hauriri, sed etiam, intellecta divinæ justitiae seueritate, horror scelerum queat nasci; hominumque pectora ad misericordiam commoueri.

## II.

Martial. li 2.  
spigr. 8o.

Atque sanè multa sunt, quæ maiorem nobis luis pestiferæ, quam famis timorem videntur incutere. Plus est enim esse, quam non esse; & furor, censetur, ne moriare, mori. Qua de causa nemmo est, qui non, vel solo nomine pestilentia audito, vehementer percellatur, omnibusque animi sensibus perhorrescat. Famem autem, si centies appelles, vix quisquam vel minimo motu metuque concutitur. Vnde facile intelligi potest, plus in illa, quam in hac mali inesse; proindeque multò illam, quam hanc formidabiliorem censem. Cur enim nomen illud tantopere exhorremus? Certè non tam propterea, quod mortem, quam quod tempus mortis longè miserabilius, longèque metuendum magis hominibus plus consuevit afferre, quam soleat fames. Quos enim fames conficit, sensim deficiunt & extabescunt, tandemque viribus exhausti omnibus, quasi sine sensu expirant. Pestis subito, vel paucorum dierum, immò paucarum horarum intervallo, cum ingenti æstu, cruciatu, & eiulatu, quos inuenit, è medio tollit. Quid autem subita, & præpropera morte horribilius? quid miserabilius, quam modò viuere, ac paulò post lethifera contagione extingui? modò in hominum cœtu sedere, mox intercadaue-

cadauerum aceruos jacerem? modò esse in domicilio, paulò pòst  
in coemeterio? Laudanda igitur atque amulanda est pia quo-  
rumdam consuetudo, qui in omnibus pñne precibus suis à Dñ  
flagitant supplices, hoc vt à ceruicibus suis malum auertat, seq;  
repentinæ atque inopinæ morti eripiat. Quod malum, vt ab T. Linius, l. 6.  
vrbe Romana auerteret, non dubitauit olim M. Curtius super-  
flitosam se se hostiam facere, & armatus in hiatum cum equo  
desilire.

Quid verò de ipso morbi huius genere dicam? cuius fœdi-  
tatem oculi refugiunt, grauitatem acerbitatemque membra vix  
sustinent? Caput plerumque primum inuadit, velut hostis vr-  
bem capturus, quam arce captâ, facile occupat. Cerebrum per-  
turbat, mentem ac rationem de sede sua statuque deturbar. In-  
membris alijs videoas vel pustulas immundas, vel humores, mox  
vlera prominentia. Fauces arescunt; siccatur lingua; sitis obsi-  
det gutturi; incensa flagrant viscera; trahunt miseri, & vix tra-  
hant spiritum, vix etiam vocem exilem & eluctantem reddunt.  
Quid multa? ita eos pestis miseris habet & affligit modis, vt  
vmbrae, vt simulachra, non homines videantur. Nec verò tantam  
in mortales tyrannidem fames exercet, quamuis etiam ipsa sat  
magna in eos crudelitatis expromat exempla. Et hæc quidem  
plerumque parcit opulentis, atque diuitibus, manus enim præci-  
puè inijicit egenis: illa uno etiam ordine ducit omnes indiscri-  
minatim, nec vilam vel atatem, vel condicionem habet eximiā:  
inuadit æquè Principum ac populi lares; vt fames quidem lamiæ,  
pestis autem Furia possit comparari. Numquam fames tot mil- Volateran  
lia simul interfecit, quot pestis, quæ quandoq; sub Leone Isauro lib. 27, An-  
Imp. cùm Saraceni Asiani Zulemone Asiano Admirato Constan- thropi  
tinopolim triennali obsidione classe ingenti cinguisse, ad CCC.  
millia è Constantinopolitanis interemit; teste Volaterano; quan-  
doque non vnam, sed plures peruagata regiones, omnes pagos,  
omnia oppida, ipsas vrbes exhaustit, ac depopulata est. Memo-  
rant historiæ anno à Christo nato 876, tantam vim pestilentiae  
in orbem terrarum incubuisse, tantumque hominum absumpsi-  
se, vt vix tercia pars superstes euaserit. Himilco in Hasdrubalis  
patris locum ad Siculum bellum id temporis, cùm iam Diony-

N

fius

## III.